



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

**Rodríguez, Alonso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1622**

Cap. IV. De sancto suiipsius odio, & spiritu mortificationis & pœnite[n]tia,  
quæ inde procedu[n]t.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40093**

vires eius omnes coalescerent. Hinc est, quod tam instanter Sapiens à Deo petebat, ne tale supplicium aut pœnæ genus ei immitteret: *Domine Pater & Deus vita mea, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentia ne apprehendant me, & anima irreuerenti & infrunita ne tradas me.* Iure dicunt Sancti nullum esse euidentius iræ diuinæ signum, quam peccatorem permitti ire post concupiscentias suas & saporem palati sui, sequentē appetitus & desideria sua. Dum medicus permittit, vt aegrotus comedat & bibat, quodcunque desiderat, signum est mortis, & desperat de eius salute. Idem Deus cum peccatore agit, quando eadem valde irascitur: permittit illum agere, quodcunque accidit illi. Et aliud ei petere aut agere, quam quod ipsi noxium & mortem adfert. Hinc facile erit intelligere infelicem & periculosam conditionem eorum, quibus nihil prius aut felicius est quam voluntati vbique obsequi.

## CAPVT IV.

## De sancto sui ipsius odio, &amp; spiritu mortificationis &amp; pœnitentiæ, quæ inde procedunt.

Si exacte examinentur, quæ ante à nobis dicta sunt, sufficient sane, ad gignendum in nobis Sanctum illud odium & horrorem, quæ Christus Redemptor tam in Euangelio commendat, quod sine eo, vt erit, non possumus esse discipuli.

Quid ergo aliud ad eo perueniendum nobis est necessarium, quam exploratum habere, corpus hoc nostrum infensissimum nobis esse hostem? Capitalis hostis est, maximus proditor, cui nihil tam est votis, quam ad mortem, imo mortem æternam compellere eum, à quo sustentatur, & prouidetur ei de necessariis. Qui ad fruendum minima voluptate, nihil

Rodriguez exercit. pars 2.

pensi habet Deum offendere, & animam in infernum perpetuo deturbare. Si alicui diceretur. Esto certus vnū ex familiā tua & qui tecum edit & bibit, prodicionem parare, vt te interficiat, quam timeret. Et si præterea eidem diceretur, esto certus adhæc, odium esse plus quam vatianum & inimicitias tantas, quod contra te habet, vt mortem nihili faciat, si possit te occidere: iam scit ille statim se captum & occisum iri, & tamen exponit periculo vitam suam, vt alterū vita spoliaret. Quantum homo hic ad cubitum se componens, edens, aut aliud faciens, omni hora timeret & salutem inuigilaret, ne sicarius ille veniret, & pugione illum perfoederet, & vita priuaret. Et si possetprehendere quifnam ille esset, quanto illum odio persequeretur, & quam seuerè in illum animaduertret? Hostis hic corpus nostrum est, quod comedit, bibit & dormit nobiscum, & præclare nouit, si nocet animæ, sibi idem damno esse: & si animam in infernum detrudat, se etiam post sequi debere, & tamen, vt appetitui suo satisfaciat, omnia pessumdat & flocci pendit. Animaduert te, an non æquum sit illud abhorrere. Quoties vos in ferno addixit hic vester inimicus? Quoties vos fecit offendere infinitam illam bonitatem? Quanta bona spiritualia vobis eripuit? Quoties salutem vestram singulis horis periculo exponit? Quis ergo non indignabitur, & iram sanctam concipiet in eum, qui tantum mali ipsi intulit, tantis bonis eum exiit, & in singula momenta tantis periculis illum exponit? Si horremus diabolum, & ducimus capitalem hostem ob damnum & bellum, quod nobis infert; maior hostis est caro, quia infestius & magis continuum nobis bellum infert, & parum aut nihil possent dæmones, nisi eum ipsis starent caro & sensualitas, & iisdem nos impugnant.

Hinc erat, quod Sancti seipso tantum odio & horrore prosequerentur, & inde Spiritus ille magnus mortificationis & pœnitentiæ in iis oriebat, vt hunc

b inimi-

Corpus nostrum est anima hostis, proditor, & infidator.

Strages anima per corpus non rare edita.

SS. Patres sancto sui ipsius odio flagrant.



inimicum suum vlciferentur, subiugarent & subiicerent: Hinc tanto timore aliquid corpori indulgebant, & laute habebant, sibi enim persuadebant id esse opem ferre & arma inimico suggerere, vt viribus partis ipsos postea male haberet:

August. lib. seu exhortatum de salutarib. monitionib. c. 3.

Corpus subiugendum, ne recalcitret. Prou. 29. 22.

SS. Viri laboribus corpus alterant. Palladius.

Hist. Eccl. p. 2. lib. 6. c. 2. Corpus vexandum, vt pote quod non vexat.

Bernardus.

Demon per corpus nos tentat.

S. Augustinus ait: *Ne praebeamus vires illicitas corpori nostro, ne committat bellum aduersus spiritum nostrum: sed in hoc totum sumus, vt hoc castigemus & mortificemus, ne magis contra nos exurgat. Vt enim dicit Sapiens: Qui delicato à pueritia nutrit seruum suum; postea sentiet illum rebellē; Erant sancti illi monachi in sancto hoc exercitio valde solliciti & attentī, nihil prius habentes, quam vt mortificarent & miauerent huius hostis vires: sic vt, quando alia media non sufficiebant, ad domandum & subiiciendum corpus, vtebantur corporalibus & grauib. laboribus. Vt narrat Palladius de quodam monacho, cui multum erant infestae, vanae & superbæ cogitationes, quas à se repellere non poterat; sumpsit sportam, qua magnum lapidum acerrimum ex vna parte in aliam transportauit. Querebatur ab eo, quod ageret? Respondit: *vexo eum qui me vexat, & vlcisor inimicum meum.**

Idem, de sancto Macasio in eius vita refertur: & de sancto Dorotheo legitur, quod multis & duris poenitentis affixerit corpus, & videns illum quidam laboribus, obrutum petebat, cur tam vexaret corpus, cui respondit, quia hic me occidit.

Sanctus Bernardus odio & sancto furore in corpus plenus, vt inimicum capitalem aiebat: *Exurgat Deus, cadat armatus iste, cadat & conteratur inimicus homo, contēptor Dei, amator sui, amicus mundi, seruus diaboli. Quid tibi videtur. Certe si recte sentis mecum, dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.*

Huiusmodi sane animo & generositate mortificanda nobis est caro, & subiuganda, vt se non plus leuet, & secum spiritum & rationem abiiciat, hoc enim hoste debellato, etiam de diabolo debella-

tum erit. Vt enim diaboli nos impugnant & mediante carne nos superare nituntur, sic & nobis cum diabolis dimicandum mortificatione, & contradictione carnis.

Id recte animaduertit S. Augustinus in verba illa gloriosi Apostoli Pauli: *Ego igitur sis curro, non quasi in incertum sic pugno, ut non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Non pugno cum diabolo, vt qui aerem verberat, & cum phantasmate pugnat, quod gladio aggreditur, hoc enim frustra laborare est: sed castigo & mortifico carnem meam, & laboro illam subiugere. Ibi Sanctus dicit: *Castiga corpus tuum, & diabolum vinces, hoc enim modo Paulus aduersus illum docuit nobis esse pugnandum.* Dum Tribunus militum limitaneus eum Maurum vadit ad pugnam, ineludit Maurum captum carceri, vt in illum non insurgat & inimici opem non ferat. Idem & nobis vsui esse debet subiugantes & mortificantes carnem, vt ad inimicos non transfugiat.

## CAPVT V.

### Utilitatem & perfectionem nostram in mortificatione sitam esse.

Hinc dicebant Sancti & Magistri vltra spiritualis omne commodum & perfectionem nostram sitam esse in mortificatione. S. Hieronymus inquit: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Et in illud Iob: *Ne inuenitur in terra suauiter viuentium,* dicit verum timorem & perfectam sapientiam non reperiri in terra viuentium secundum voluntatem. Vt de terra, quae colitur, dicitur, quando producere permittitur, quae vult quae sunt cardui & spinæ quod gaudet & quiescet, sed dum cogitur proferre triticum aut simile granum, dicitur laborare: sic est in terra cordis nostri, dum quis viuunt secundum desideria & appetitus,